



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. VIII. Quibus modis Angeli sua Secreta alijs manifestent, ac invicem
loquantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

illi enim Scripturam non crediderunt; ergo ut esset bonum argumentum, debebant naturæ lumine judicare, Secreta cordium nemini nisi Deo perspecta esse.

914. Probatur. 3. Natura intellectualis ordinatur ex se ad vitam politicam in communare ducendam, cum quiete, concordia, confidentia &c. hanc autem vitam penitus turbaret atque dissolveret naturalis facultas cognoscendi aliorum cordium Secreta: nemo enim fere est, qui non haberet plurimos actus inter se, quos si sciret evidenter cognosci ab alijs quibuscumque vivit, & quidem se invito, vehementer assigeretur, & in pluribus casibus varia sibi incommoda timeret ab alijs: ergo ex intrinseca exigentia, & jure quodam naturali, petit natura intellectualis hujusmodi secretum. Probatur consequentia. Natura enim ex innato appetitu petit ea omnia, quæ sunt necessaria ad finem, ad quem ab intrinseco est ordinata.

915. Confirmatur. 1. Quia incredibile profertur est, Naturam intellectualem esse ita constitutam, ut non possit tranquillam vitam agere, beneque gubernari, nisi Deus perpetuam exerceat violentiam circa naturas nobilissimas, impediendo scientiam illis debitam, maximèque desiderabilem circa actus aliorum.

916. Confirmpatur. 2. ex Card. de Lugo. sicut enim ipso Naturæ instinctu judicamus violari jus naturale secreti, si alius epistolam à me ad alium scriptam aperiat, vel cistam clausam effringat, ad explorandum, quid ibi lateat, ita naturæ instinctu judicamus, inesse nobis jus secreti circa nostros actus, ut illos possimus absconditos tenere, quandiu volumus; & hoc est illud dominium in nostros actus, quod attendit S. Thomas q. 16. a. 4. in C. quando nostræ Conclusionis rationem reddit paucis his verbis. *Voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, & ipse solus in eam operari potest, qui est principale ejus objectum, & finis ultimus.*

917. Quæres: quinam actus interni gaudeant hoc secreto. Certum est primò, non gaudere illos, qui externo aliquo signo & effectu, cum illis infallibiliter connexo, manifestantur. Secundo certum est, hoc secretum cessare, quam primum quis consentit, ut alter hujusmodi actus intelligat; hoc enim consensu posito, Deus producit in altero Angelo species talium actuum: & hoc non minus erat Angelis quàm hominibus expediens; ut sibi possent mutuo sua secreta communicare, & hac ratione sese mutuo devincire.

918. Tertiò certum est, hoc secretum vel maximè convenire actibus liberis voluntatis. Quoad reliquos, res non est ita certa. Generaliter, hæc regula traditur: Illos omnes gaudere

hoc secreto, qui exterius non produntur, & si cognoscerentur certò ab alijs, sequerentur inconvenientia indicata, & præjudicaretur sociali vitæ Angelorum. Vnde ex communi Doctorum, non solum actus Voluntatis non liberi, sed etiam actus intellectus, saltem imperati, veniunt sub hoc secretum, ut tenet S. Thomas, & manifestè satis colligitur ex S. Scriptura, probante etiam Divinitatem Christi ex revelatione hujusmodi actuum. *Quid cogitatis in cordibus vestris, &c.* Deinde etiam sub eodem secreto comprehenduntur actus intellectus directivi & practici, item reflexi supra actus hucusque recensitos, & species intentionales inde acquisita. Denique Suarez & communiter alij, complectuntur etiam actus speculativos, in quo tamen dissentit Derkennius, sed rei admodum dubiæ non est ampliùs immorandum.

CONTROVERSIA VIII.

Quibus modis Angeli sua secreta alijs manifestent, ac invicem loquantur.

919. IN explicanda locutione Angelorum, mira est inter Authores discrepantia, quæ fortassis cessaret, si non nimis scrupulosè requirerent omnes proprietates locutionis humanæ, proportionaliter ad locutionem Angelicam, quod certè ad explicandos Scripturæ textus non est necessarium, satis enim est, si ostendatur modus, quo manifestant invicem suos actus, qui modus sine ullo inconvenienti locutio Angelica vocabitur, quomocumque fiat. Itaque non tam in aliorum opinionibus rejiciendis (quod faciunt, qui non nisi unicum loquendi modum volunt admittere) quàm in assignandis diversis modis loquendi possibilibus laborabimus; quoniam autem eorum uti velint Angeli, penes ipsos erit. Itaque

920. DICO. 1. Angeli possunt inter se loqui utendo signis materialibus, formando in aère voces vel characteres, quibus cognitis alter Angelus veniat in cognitionem illius conceptus, quem loquens Angelus hujusmodi signis exprimit, eo modo quo Angelus homini, vel homo Angelo loqui solet. Probatur. Si enim Angelus hoc modo homini loqui potest, utique alius Angelus eadem signa intelliget, (cùm & ipse iisdem uti posset ad hominem) & intelligendo signa veniet in cognitionem rei seu conceptus significati, non minus, immò melius quàm homo.

921. DICO tamen. 2. Hic loquendi modus non potest univèrsim esse sufficiens pro Angelis, sed alius præterea debet esse possibilis. Probatur. 1. Quia si nulla corpora essent interposita & præsentia Angelis, non propterea Angeli

geli essent muti; sicut nec essent muti, etiam si nulla huiusmodi signa ad placitum essent imposita.

922. Probatur. 2. Quia Angelus A. debet posse loqui Angelo B. quin Angelus C. D. &c. cui non vult committere secretum, veniat in notitiam secreti: atqui si solum loqui posset signis materialibus, posset etiam alius Angelus, ipso loquente, quantumvis invito, eum intelligere loquentem, quia illa signa non essent sub secreto, sicut non sunt voces ab homine prolatae. Ergo.

923. DICO. 3. Possunt Angeli loqui inter se per signa spiritualia, v. g. si prius inter se conveniant circa diversas figuras à se induendas, quae habeant officium diversorum characterum quas deinde loquens successivè assumat. Verum nec hic loquendi modus sufficit, quia Angeli debebant prius circa hæc signa convenire, adeoque alio modo inter se loqui, sicut homines debebant vocibus imponere significationem per nutus demonstrativos. Ergo datur etiam alius modus.

924. DICO 4. Angeli possunt invicem loqui manifestando immediatè suum conceptum mentis, quem habent de aliquo objecto. Ita Arriaga, Derkennius, & Esparza. Probatur. Tandiū manet actus aliquis sub secreto, quamdiu Angelus non relaxat secretum suo consensu, ut alter cognoscat actum; quo consensu posito producit Deus species in altero Angelo, respectu cuius præsatur consensus, & sic patet alteri Angelo actus, qui prius erat sub secreto: atqui hoc sufficit ut unus Angelus dicatur alteri loqui, nisi fiat questio de nomine. Ergo, &c.

925. Obijcit. Hoc loquendi modo non possunt Angeli invicem mentiri; hoc autem est inconveniens. Major probatur. Nam in hac ratione patet loquentis actus audienti intuitivè & evidenter: ergo loquens non potest aliud habere in mente quàm quod loquitur. Hoc autem esse inconveniens probatur tripliciter. Primò: quia soli Deo proprium est, non posse mentiri. Secundò, quia Lucifer seduxit alios non nisi mentiando: ergo &c. Tertiò quia nos ipsi experimur, nos posse mentiri Angelos, v. g. asserendo dæmoni nos aliquid facturos, quod tamen in animo statuiimus non facere.

926. R. 1. Transeat major, negatur minor. Nullum enim inconveniens esset, Angelos non posse invicem mentiri, si alium modum non haberent manifestandi sua arcana, nisi evidenter. Ad probationes facilè responderi posset. Ad. 1. sufficere quòd possint mentiri hominibus. Ad. 2. responderi rectè P. Arriaga, non fuisse opus mendacio ad seductionem aliorum, sed sufficiebat proponere motiva, quæ Luciferum ipsum, impellebant ad lapsum, vel illis

non absimilia. Ad. 3. patebit responsio ex d. cendis: interim dicatur, nos mentiri dæmonibus per voces, vel simulacra vocum in nobis formata.

927. Respondeo ad objectionem secundò, negando maiorem, quia potest Angelus Angelo mentiri vtendo alterutro ex prioribus duobus loquendi modis. Majus dubium est, an possit excogitari modus loquendi sine signis, qui conjungi possit cum mendacio, de quo jam

928. DICO. 5. Probabile est posse Angelos per solos actus internos invicem loqui, locutione aptà ad mentiendum, & ad fundandum actum fidei in audiente. Declaratur. Michæl vult mentiri Gabrieli, Deum sibi revelasse extremum iudicii diem: elicit ergo desiderium, quo desiderat in Gabriele existere actum fidei, autentem autoritate Michælis, quòd extremus iudicii dies sit futurus post annum, quo desiderio posito, Deus vt author Naturæ producit in Gabriele species non quidem representantes immediatè & in se, ipsam futuritionem iudicii post annum, neque etiam representantes immediatè & in se ipsum actum iudicii existentem in Michæle, quem habet de revelatione (nullum enim habet) sed representantes illud ipsum desiderium Michælis, quòd desiderium non est sub secreto, quia est formalis consensus, licet implicitus, in sui notitia, sicut est volitio dirigens signa locutoria ad alium. Gabriel acceptis his speciebus, statim eas in se cognoscit, & sic est sufficienter excitatus ad audiendum Michælem, si velit attendere, & relicto alio objecto cognoscere hoc desiderium Michælis, quòd si facit, & assentitur propter auctoritatem loquentis, decipitur, & loquens mentitus est, quia contra mentem locutus.

929. Obijcit. 1. Hic modus loquendi ostendit quidem, quòd Michæl posset attentare mendacium, non tamen quomodo Gabriel posset decipi, & moveri ab auctoritate Michælis. Sit enim Gabriel, quòd Michæl si vellet, posset immediatè suum iudicium de futuritione extremi iudicii, & revelatione sibi facta, manifestare evidenter, & quòd illud nolit facere, sed occultando vtatur alijs ambagibus: cogitabit ergo Gabriel, Michælem nolle sibi seriò communicare certitudinem futuri iudicii, sed velle decipere, quia non communicat meliorem modo quo posset: cur enim occultaret suam scientiam? ergo non crederet, & non deciperetur. videtur ergo hic loquendi modus non stare cum possibilitate prioris numeri. 5. asserti, & econtra. R. Hoc argumentum nimium probari, nempe, quòd etiam inter homines ille non esset inventurus fidem apud alios, qui non certificaret alterum meliorem modo quo licitè posset, adeoque nisi dicta iuramento firmeret tunc quando licitè posset jurare, aut nisi se obligaret ad pœnam solvendam, si decipiat, quòd

tamen

tamen non nisi absurdè exigeretur. Sicut ergo homines possunt ex certis causis nolle alteri manifestare suam mentem, summâ certitudine tunc possibile, sic nec Angelis poterunt deesse causæ, non manifestandi evidenter suam scientiam, aut mentem. Posset v.g. Michaël nolle Gabrielem esse sibi parem in cognitione & certitudine hujus veritatis: posset velle explorare, quâ reverentiâ erga se suamque veracitatem afficeretur Gabriel. posset denique velle esse securus, de non derivanda certitudine objecti ad aliorum notitiam.

930. Objic: 2. Volitio illa, quâ vellet Michaël decipere, haberet intrinsecum respectum ad deceptionem, vel tanquam ad motivum alliciens, vel saltem ut absterrens: ergo si Gabriel hanc volitionem intuitivè videret, hoc ipso cognosceret. animum decipiendi: ergo non crederet. R. Angelum loquentem posse velle manifestare unam formalitatem illius desiderij, & aliam occultare.

C A P V T IV.

DE VIA ANGELORVM QVOD AD STATVM GRATIÆ ET MERITI.

CONTROVERSI A I.

Utrum Angeli acceperint Gratiâ sanctificantem ex prævia dispositione.

931. **S**upponendum est, Angelos statim in primo instanti suæ creationis fuisse præditos gratiâ sanctificante, ut cum S. Thoma tradunt communiter Doctores. Questio tamen est, an eam acceperint sine vlla supernaturali & libera dispositione per actum fidei & Charitatis, sicut infantes accipiunt in baptismo, vel potius, an aliqua hujusmodi dispositio, tanquam meritum de congruo, præcesserit.

932. Prima sententia negat intervenisse hujusmodi dispositionem præviam. Ita Sotus, Molina, Arriaga.

Dicendum tamen est cum reliquis Theologis, defecto præcessisse, per modum meriti de congruo & dispositionis, actum supernaturalem, & quidem Charitatis Dei super omnia, quia gratia non confertur defecto extra sacramentum, nisi per actum Charitatis.

933. Probatur Conclusio primò, à paritate. Homini adulto nunquam datur gratia sanctificans sine prævia libera dispositione, ne quidem per baptismum aut sacramentum Pœnitentiæ: atqui Angeli in primo creationis instanti fuerunt adulti, habentes nimirum plenum usum rationis: ergo censendum est, hâc divinâ ordinatione etiam Angelos fuisse comprehensos. Alioquin cur Christus non contulit hanc prærogativam Baptismo respectu adultorum, sicut contulit respectu infantium, cum sit sacramentum regenerationis?

934. Probatur. 2. Ratione à priori: quia per gratiam sanctificantem assumitur Angelus & homo in Amicum Dei, & illi quasi vinculo desponsationis obligatur, Os. 2. Sed talis Assumptio & desponsatio non debet fieri nisi cum libero consensu illius, qui sic assumitur, si habeat liberum arbitrium: ergo &c.

935. Confirmatur. Quia sicut est perfectior modus acquirendi gloriam per merita, quàm sine meritis, ita etiam erit perfectior modus acquirendi gratiam & amicitiam Dei per merita, quàm sine meritis: & quidem non solum est perfectior modus ex parte accipientis, sed etiam ex parte Dei offerentis: nam perfectius est, non inire amicitiam nisi cum promerente, quàm suam amicitiam obtrudere non ambiendi.

936. Objic: 1. Humanitas Christi non accepit Gratiâ ex propria dispositione, & tamen fuit sanctificata modo perfectissimo: ergo sanctificari per merita non est modus perfectissimus. R. Distinguendo consequens: non est modus perfectissimus respectu suppositi non habentis sanctitatem substantialem, cui debeatur sanctitas accidentalis, nego consequentiam: respectu suppositi habentis sanctitatem substantialem, & exinde sanctitatem accidentalem debitam, concedo consequens. Itaque Humanitati non debetur operatio antequam subsistat: subsistit autem Humanitas Christi per Verbum, quæ est ipsius Sanctitas substantialis: Vnioni verò hypostaticæ debetur Gratia sanctificans, quæ est sanctitas accidentalis: